

essentia, rursus descendit psychologus ad potentias et operationes nova luce illustrandas, et multas infert *conclusiones* quæ ad originem finemque hominis pertinent (1).

(1) Hanc methodum clarè, licet generaliter, indicat D. Thomas : « Natura uniuscujusque rei ex ejus propria operatione ostenditur; quia ex modo operationis et specie mensura et qualitas virtutis pensatur. Virtus verò naturam rei monstrat; secundum hoc enim unum quodque natum est operari quod talem naturam sortitur. » (*Cont. Gent.* II, 1).

---

## PRIMA PARS ANTHROPOLOGIÆ

### DE POTENTIIS ANIMÆ

---

Animæ potentiæ considerari possunt generatim et singulatim. Hinc duplex sectio.

---

#### SECTIO PRIMA

De potentiis animæ generatim inspectis.

6. Potentiæ definiri queunt *principium proximum quo anima operatur*; v. g. ratio est principium proximum quo anima exercet actum cogitationis.

Porrò, cum medium locum teneant inter essentiam et operationes, trifariam spectari valent, scilicet quatenus ad essentiam referuntur, quatenus in seipsis considerantur, et quatenus ad operationes ordinem habent.

---

#### CAPUT I

DE POTENTIIS ANIMÆ AD ESSENTIAM RELATIS

---

Quatuor præstat inquirere : 1° utrùm sint plures ; 2° utrùm ab essentiâ realiter distinguantur ? 3° utrùm cunctarum anima sit subjectum ? 4° utrùm cunctarum sit principium ?

## ARTICULUS I

**Utrum potentiæ animæ sint plures, eademque realiter distinctæ?**

Potentiæ animæ sunt certæ vires quarum ope homo actiones sibi proprias elicit.

**7. Assertio:** *Plures sunt animæ potentiæ realiter distinctæ.*

PROB. 1<sup>a</sup> PARS. — Cuique enti plures sunt proprietates; at specialis est ratio cur anima humana abundet, ut ait S. Thomas, « diversitate potentialium, videlicet quia est in confinio « spiritualium et corporalium creaturarum; et ideo concurrunt in ipsâ virtutes utrarumque creaturarum. » (1<sup>a</sup>, q. 77, a. 2, c) (1).

PROB. 2<sup>a</sup> PARS. — Ubi sunt operationes realiter distinctæ, et potentiæ distinctæ esse debent; atqui sunt in homine operationes realiter distinctæ. Ergo... Constat major, quia operatio efficitur a potentiâ; effectus autem diversus diversam causam exigit, nisi hæc infinitæ fuerit virtutis, quæ proinde æquè valeat ac plures potentiæ seu causæ diversæ. — Constat minor ipsâ experientiâ; nam v. g. anima sentit, intelligit et vult; sentire autem, cogitare et velle sunt operationes distinctæ, imò diversæ, ut infra, ex earum analysi fusiùs declarabitur.

(1) S. Thomas idem a priori profundè concludit cum Aristotele: « Quæ sunt in rebus infima, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam consequuntur paucis motibus. Superiora verò his adipiscuntur perfectam bonitatem motibus multis. His autem superiora sunt quæ adipiscuntur perfectam bonitatem motibus paucis. Summa verò perfectio invenitur in his quæ absque motu perfectam possident bonitatem... Dicendum est ergo quòd res quæ sunt infra hominem, quædam particularia bona consequuntur, et ideo quasdam paucas et determinatas operationes habent et virtutes. Homo autem potest consequi universalem et perfectam bonitatem, quia potest adipisci beatitudinem. Est tamen in ultimo gradu, secundum naturam, eorum quibus competit beatitudo. Et ideo multis et diversis operationibus et virtutibus indiget anima humana. Angelis verò minor diversitas potentialium competit. In Deo verò non est aliqua potentia, vel actio præter ejus « essentiam. » (loc. cit. sup.)

## ARTICULUS II

**Utrum animæ potentiæ ab ejus essentiâ realiter distinguantur?**

**8. Opiniones.** — Philosophi omnes concedunt vigere quoddam discrimen inter essentiam et potentias animæ, sed circa naturam hujus discriminis haud conveniunt. Juxta veteres nominalistas, et sensualistas omnis ævi, in naturâ nihil reale est præter potentias ac phænomena; unde potentiæ se habent ut partes, essentia autem ut potentialium vel phænomenorum collectio. — E contra Scotus, et post eum multi recentiores, in rebus et in homine præprimis essentiam vident; unde, si fides illis, sola propriè existit essentia, potentiæ verò nihil sunt nisi quidam ipsius essentiæ modi; unde potentiæ animæ sunt anima ipsa, tali vel tali modo affecta. — At Aristoteles, SS. PP. generatim, et scholastici penè omnes in omni ente creato admittunt essentiam, vi cujus habet propriam speciem, et potentias, ipsi superadditas, proin ab ipsâ realiter distinctas, quarum vi efficitur aptum ad proprias actiones exerendas (1). Quare potentiæ animæ non sunt ipsa anima, sed certa animæ attributa, sicut in corpore varia sunt organa, tametsi unum sit corpus.

**9. Assertio:** *Ab animæ essentiâ realiter distinguuntur potentiæ (2).*

(1) Non aliter Leibnitzius qui (*Theodic.*, part. III, n. 396, et *Monadol.*, n. 48), distinguit inter substantiam et ejus potentias quas vocat accidentia; et alibi docet quantitatem esse accidens corporis. — Theologi ferè omnes distinctionem realem inter essentiam et potentias animæ implicite vel etiam explicitè tuentur; ubi enim volunt Trinitatis imaginem quamdam in homine manifestare, ostendunt in animâ nostrâ tria verè distincta reperiri, etsi una sit substantia, scilicet intellectum, voluntatem et esse, ex quo intellectus et voluntas dimanant.

« Vellem ut hæc tria cogitarent homines in seipsis: esse, nosse, velle. Sum enim, et novi, et volo; sum sciens, et volens, et scio me esse et velle; et volo esse et scire. In his igitur tribus quàm inseparabilis vita, et una vita, et una essentia! quàm inseparabilis distinctio, et tamen distinctio! » (*S. Aug. Confess.*, l. XIII, c. 11).

(2) Cf. S. Th., *Qq. dispp.*, q. unica de spirituali creaturâ; opus nostrum *L'Idée du beau*, p. 188-195.

Thesis probari potest directè et indirectè.

*Directè. I. Experienciâ.* — Nulla res potest a seipsâ pendere aut sibi subjici, aut secum pugnare. Porrò, experienciâ teste, potentiæ animæ aliæ ab aliis pendent, aliæ aliis subjiciuntur et quandoque aliæ cum aliis pugnant; v. g. voluntatis exercitium pendet ab intellectu, intellectus a sensibus, sensus a facultate vegetativâ. — Item ratio appetitui sensitivo dominatur, et voluntas in omnes facultates exercet principatum. — Insuper, ratio cum phantasiâ pugnat, voluntas cum passionibus. Sed hæc omnia sensu carent si potentiæ ab essentiâ non realiter distinguuntur, cum essentia animæ una sit sibi que identica.

II. *Ratione.* — 1° Ea realiter differunt quæ diversas habent notas. Porrò, in omni ente creato, essentia et potentiæ diversas habent notas. *Probatum minor*, quia essentia est *id quo res in suâ specie constituitur*, dum potentia est *mera facultas aliquid agendi*. Quamobrem essentia exhibet elementum *absolutum*, completum in se, quod non transit ex potentiâ in actum, nullam ideo mutationem, nullum progressum suscipit, sed semper eodem modo se habet, proinde integram servat entis et speciei identitatem; v. g. ejus vi, idem est senex qui erat puer, eadem diversorum hominum natura. At contrâ, potentia exhibet in ente creato elementum *relativum*, ex se incompletum, quod totum ad operationem refertur, mobile igitur, quia transit ex potentiâ in actum, et majorem minoremve progressum accipit pro variâ subjecti in quo inest, indole. E. g. inæqualis est diversorum hominum intelligentia aut voluntas, et eæ multò perfectiores sunt in viro quàm in puero, ob acceptum in dies progressum.

*Diximus in omni re creatâ*; quia in Deo, propter infinitam perfectionem ejus ac simplicitatem, nec operationes a potentiis, nec potentiæ ab essentiâ reapse differunt.

2° Substantia et accidens realiter distinguuntur, cum substantiæ in seipsâ, accidenti autem in substantiâ esse conveniat. Sed anima est substantia, ut ab adversariis plerisque conceditur, et probabitur ubi de illius naturâ. Econtra potentiæ sunt accidentia. Non enim in seipsis, sed in animâ sub-

sistent; alioqui tot essent in homine substantiæ, quot potentiæ. — *Confirmatur*, quia natura potentiæ ex naturâ actûs ad quem ordinatur tota judicari debet, cum actus id sit *actualiter*, quod potentia est *potentialiter*; imò nobilior sit actus potentiâ, quatenus ejus complementum et perfectio. Unde axiomatis loco habetur illud: *Potentia et actus sunt ejusdem generis*. Atqui animæ operationes non sunt in genere substantiæ; quippe ab eâ pullulant, ei adduntur, ac præferunt aliquid multiplex et variabile. Ergo idem dici debet de ipsis potentiis.

*Indirectè.* — 1. *Opinio adversariorum falso nititur fundamento*, videlicet in generali negatione realis distinctionis inter substantiam et accidentia. Porrò distinctio hæc paucis jam probata est 2° argumento suprâ recitato, et certa evincitur in Ontologiâ.

2. *Perniciosa trahit consecutaria*. Si enim animæ potentiæ ab essentiâ haud realiter secernuntur, vel una tantum potentia admittitur, quia una est essentia; vel essentia consistit in variarum potentialium collectione; at neutrum dici valet. — *Non 1<sup>um</sup>*; quia si potentia illa supponitur *organica*, non poterit elicere operationes spirituales; si autem *inorganica*, non poterit elicere operationes organicas, quas in homine cernere est. — *Non 2<sup>um</sup>*; quia jam animæ essentia non foret una, sed composita, imò composita ex potentiis contrariis, aliis nempe organicis, aliis autem inorganicis, quod repugnat. — Insuper constat varias potentias, quantumvis naturâ dispares, uno communique vinculo inter se colligari. Atqui aliud est multitudo seu collectio in unum colliganda, aliud vis ipsa quæ illam colligat.

Jure igitur cum D. Thomâ concludendum: « *Impossibile est dicere quòd essentia animæ sit ejus potentia, licèt hoc quidam posuerint*, » (1<sup>a</sup>, q. 77, a. 1, c).

40. *Obj. 1°* Si potentiæ animæ ab ejus essentiâ realiter distinguuntur, ab eâ etiam separari possunt. Falsum posterius, ergo et prius.

*Nego consequentiam*, quia realis distinctio inter plures entitates, in tantum earum *separabilitatem* induceret, in quan-

tum singulæ completæ forent, ac per se solas esse et agere possent. Porrò, in casu de quo nunc, id minimè obtinet, ut patet ex dictis. Nec desunt exempla rerum distinctarum quæ separari haud queunt : v. g. in corporibus materia et forma, in arbore folia et rami, in animâ autem intellectus et voluntas.

*Inst.* Concipi nequit quid sit essentia sine suis potentiis. Ergo ab iis non realiter differt.

*Neg. ant.* Quanquam enim sine potentiis suis esse non potest anima, præsertim sine intellectu et voluntate, tamen *concipitur* quid sit sine illis, siquidem debet intelligi ut *subjectum* in certâ specie collocatum, in se existens et *principium* ex quo naturaliter promanant potentiæ. Et sanè, prius concipienda est essentia alicujus rei creatæ, quàm ejus attributa concipiantur.

**41.** *Obj.* 2<sup>o</sup> Sententia scholastica docet potentias animæ esse mera accidentia. Illud autem absurditate non vacat.

*Dist. maj.* : Docet potentias esse ab essentiâ distinctas, in quâ recipiuntur velut in subjecto, *conc.*; esse mera accidentia quæ ab animâ abesse possunt, *neg.* Nam inter essentiam et merum accidens datur medium, *proprium* nempe, quod longè ab accidente differre ostendimus in Logicâ (n. 171). Itaque potentiæ animæ, licèt ab illius essentiâ distinctæ, nihilo minus essentiam *proximè* sequuntur, et *sponte* promanant ex *principiis essentialibus speciei*, cujus sunt *proprietates naturales*, non merè accidentales. (Cf. D. Thom., 1<sup>a</sup>, q. 77, a. 1, ad 5).

### ARTICULUS III

#### Utrùm omnium hominis potentiærum subjectum sit anima sola (1)?

**42.** Potentiærum subjectum est *illud in quo inhaerent, et quod per eas operatur*. (Cf. S. Th., 1<sup>a</sup>, q. 77, a. 5).

Porrò manifestum est potentias *inorganicas*, intellectum nempe et voluntatem, in animâ solâ, tanquam in subjecto

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2<sup>e</sup> part., c. 1, a. 3, p. 96 et ss.

residere, quippe quæ corpus transcendunt. At *organicæ* potentiæ, in animâ solâ tanquam in subjecto recipi haud queunt, sed partim in animâ, partim in corpore; quia, ut monet D. Thomas, « exercentur per organa corporalia, sicut « visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de « omnibus aliis operationibus nutritivæ et sensitivæ partis. » (1<sup>a</sup>, q. 77, a. 5, c).

### ARTICULUS IV

#### Utrùm omnium hominis potentiærum anima principium sit?

**43.** Principium dicitur non propriè id quod *efficit* aliquid — id enim rectiùs vocatur *causa* — sed id quod *est radix vel ratio sufficiens alicujus*, seu fusiùs, id, quo posito, *alterum poni debet, ob naturalem connexionem quam habet cum eo*.

Atqui liquido patet potentias inorganicas, ab animâ, ut a principio, dimanare; quippe quæ ab animæ essentiâ tanquam *naturales* proprietates defluunt, in animâ solâ resident, et ab eâ solâ exercentur.

Idem quoque dicendum est de potentiis organicis. Licèt enim in corpore et per corpus exercentur, tamen corpori non insunt, quatenus est corpus, sed quatenus est vivens et humanum. Sed corpus est vivens et humanum per animam, ut infra probabitur, ubi de influxu animæ in corpus. (Cf. S. Th. 1<sup>a</sup>, q. 77, a. 6).

### CAPUT II

#### DE POTENTIIS ANIMÆ IN SE SUMPTIS

Quærere licet : 1<sup>o</sup> Quomodo a nobis dignoscantur potentiæ? 2<sup>o</sup> Quomodo aliæ ab aliis secernantur; 3<sup>o</sup> Quot numerentur?